



• S • G • B • T • B •



• T • G • G • T •



z. B. A. h

W. A.

J. q. 259.



DISPUTATIO DECIMAQUARTA
In Augustanam Confessionem,
conticens

ANTIΘΕΣΙΝ ARTICULI III.

DE MERITO
CHRISTI,

Proposita

In Electorali Academia wittenbergensi,

PRÆSIDE

JACOBO MARTINI, SS. Th.

D. & Prof. Primario, Facult. Theol. Seniore,
Templi Arcis Præposito, ac p. t.
Academiae Rectore,

RESPONDENTE

M. JOHANNES REDSLOBIO
Jüterbocensi Saxone.

*Habebitur in Auditorio Collegii veteris
ad diem 12. Aprilis.*

WITTEBERGÆ,

Typis Hæredum SALOMONIS AVERBACH,
ANNO M DC XXIX.

DISPUTATIO DECIMA QUARTA
In Augustinum Confessionem
CONFERENS
DE MERITO
CHRISTI

Proposita
In Electorali Academia Wittenbergensi
T R I B U N A
JACOBO MARTINI S. Th.
D. & Prof. Primario, Theol. Seniore
Lect. Sacris Theologiae, ac p. r.
Academiae Rectori

WITTENBERGA
M. JOHANNI RUDOLPHO
Lect. Sacrae Theologiae
Habitu in Auditorio Collegii veteris
ad diem 12. Aprilis.

WITTENBERGA
Typis Heroldum SALOMONIS AVERBACH
Anno M. DC. XXIX





Cotinuatio.

EGimus præcedente disputatione de CHRISTO MEDIATORE secundum utramq; naturam; consequens nunc est, ut quædam de MERITO CHRISTI subjiciamus.

T H E S E S.

I.

Becanus Theol. Schol. part 3. cap. 14. de Merito Christi, in actionibus ejus tria spectanda esse tradit: 1. *valorem*, 2. *meritum*, 3. *satisfactionem*. Et addit, *valorem respicere dignitatem & sanctitatem operis: Meritum respicere premium & retributionem. Satisfactionem respicere peccata humani generis, pro quibus Christus satisfecit, & illam reperiri in omnibus Christi actionibus, tam necessariis, quam liberis; istud verò & hanc in solis actionibus liberis.*

II. Putamus nos Becanum non loqui promiscuè de omnibus Christi actionibus; sed tantum de meritoriis, quod etiam inscriptio hujus capituli, DE MERITO, arguit. Tum verò actio meritoria & meritum recurrunt, ita ut omnis actio meritoria Christi sit meritum Christi: & contra omne meritum sit actio meritoria Christi.

III. Si autem hoc verum est, ut est, tum *valor & satisfactio* perperam merito Christi contradistinguuntur: cum essentiam meriti ingrediantur. Nam si meritum non est infiniti valoris, & si non satisfacit pro peccatis hominum, non potest mereri hominibus remissionem peccatorum.

IV. Deinde negamus valorem meriti Christi recipere tantum dignitatem & sanctitatem operis, cum etiam respiciat ipsam

ipsam Dei potentiam infinitam, ut in progressu pluribus sumus demonstraturi.

V. His breviter prælibatis, ad ipsas quæstiones, à Becano motas, nos accingimus: Quarum prima hæc est: *An actiones Christi fuerint infiniti valoris?*

VI. Pontificii in rebus fidei perpetuum jactant consensum. Quà fronte autem id faciant, ex resolutione quoque hujus quæstionis, à Becano cap. 1. instituta, & quidem statim §. 1. & 2. videre & intelligere est.

VII. Nam §. 1. dicit, *negare eam Scotum in 3. dist. 19. q. 1. & nonnullos alios, & quidem ex hæc ratione: Quod valor cujusq; actionis fundetur in ipsâ entitate ipsius actionis: cum ergo singule Christi actiones fuerint finite in suâ entitate; utiq; sint etiam finite in valore.*

VIII. Statim §. 2. subjicit Jesuita, *alios rectius affirmare, quod valor seu dignitas non oriatur ex solâ entitate & morali bonitate ipsius actionis, sed etiam ex circumstantiis, & maximè ex dignitate & sanctitate operantis: cum ergo Christus, qui operabatur, fuerit infinitæ dignitatis & sanctitatis; utiq; necessum erit, inde ortum esse infinitum valorem seu dignitatem actionum Christi.*

IX. Quid autem est sibi invicem contradicere, si hoc non est? Scotus Pontificius & ipsius asseclæ dicunt; singule Christi actiones fuerunt finiti valoris; Becanus, & quos sequitur, ajunt: singule Christi actiones non fuerunt finiti valoris, sed infiniti: sanè contradictio manifesta.

X. Omnino etiam quæstio hæc pertinet ad fidem. Si n. actiones & passiones Christi non fuerunt infiniti valoris, utiq; nec meritum, nec satisfactio infiniti valoris fuerunt. Si hoc non: ergo meritum & satisfactio Christi fuit insufficiens, quod est contra fidem: Ut ergo meritum infiniti valoris esset & justitiæ infinitæ plenariè satisfaceret; Mediator noster & Redemptor, non tantum debuit esse homo innocens & sine peccatis; sed etiam Omnipotens & infinitus Deus, ut actiones essent *deum*, & sic infinitæ virtutis & valoris.

XI. Porro in subsequentibus Becanus quatuor proponit ac resolvit quæstiones. Primam §. 3. his verbis: *dices, inquit, Non.*

Non videtur posse intelligi, quomodo actiones Christi acceperint infinitum valorem ex infinita dignitate & sanctitate operantis? Ad quaestionem hanc duobus modis respondet Jesuita, Primum: Quod acceperint illum valorem immediatè ex infinita dignitate personae Verbi, cui tribuebantur actiones humanitatis Christi, quatenus illa persona sustentabat & terminabat humanam Christi naturam operantem. Quo sensu dici solet actiones esse suppositorum.

XII. In hoc discursu distincta occurrunt considerata & examinanda. Primum, quòd infinitum illum valorem rursus Jesuita ex infinita duntaxat dignitate & sanctitate operantis, deducat. Quod (uti diximus) concedere non possumus: cum eo modo merito Christi sive Christo Mediatori nulla realis actio expiandi peccata & liberandi homines, tribuatur: sed tantum quaedam dignitas, ad quam respiciens Deus Pater, ipse deum, realiter in hominem peccatorem agat, ipsi peccata condonet, & ab aeterna maledictione liberet: haud secus ac si Imperator respiciens ad fidelia servitia & benèmerita alicujus Principis intercedentis pro homicidâ quodam captivo, ipsum ex captivitate dimittat, & in gratiam recipiat. Ubi sanè dimissio & in gratiam receptio tantum improprie principi, soli verò Imperatori proprie tribuitur. Sola enim intercessio, principis: Liberatio verò & in gratiam receptio Imperatoris (quippe in cuius solius potestate hæc reposita erat) actio est.

XIII. Longè verò aliter liberavit nos filius Dei: intercessit quidem pro nobis, sed non tantum: verum culpam quoque & languores nostros in se suscepit, & sufficiens λύτρον Deo pro peccatis hominum solvit Esa. 53. Verè (NB. verè non metaphoricè & moraliter tantum, sed verè) languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit: Proinde sustulit peccata nostra, Hebr. 9, 15. & nos verè liberavit Esa. 43, 15. 25. Heb. 1, 3; illum vincendo, qui nos captivos tenebat. Semen enim mulieris contrivit caput serpentis, Gen. 3, 15. Et Filius Dei vicit diabolum & ejus regna evertit 1 Joh. 3, 8. Esa. 49, 25. & nos ad se recipit Joh. 14. Esa. 35, 4. Heb. 7, 25. &c. Quæ sanè actiones omnes veræ ac reales, non metaphoricæ & q. intentionales sunt.

XIV. Deinde etiam observandum est, quod Jesuita actionibus meritoriis Christi, infinitum valorem tribuat, immediate ab infinita dignitate personæ verbi acceptum.

XV. Quæritur enim, quomodo id, salvis hypothefibus Becani & cæterorum Jesuitarum, fieri, nempe quomodo immediate ex infinita dignitate personæ verbi actionibus humanis infinitus valor tribui queat: Cum persona illam infinitam dignitatem immediate, juxta opinionem Jesuitarum, non possideat, sed mediate, nempe mediante naturâ divinâ. Unde sic argumentamur: Quod infinitatem immediate in se non habet, ab illo alterum infinitatem immediate accipere nequit: Atqui infinitatem immediate persona in se non habet, sed natura: Ergo valor meriti Christi à persona immediate infinitatem accipere nequit.

XVI. Major est immotæ veritatis. Minor est Jesuitarum, ut patet ex præcedentibus: Ergo ipsorum quoque erit conclusio, contradicens Becani assertioni, *ab infinita dignitate personæ actiones Christi accipere infinitum valorem.*

XVII. Deinde, nullum essentielle attributum divinum potest immediate tribui vel humanitati vel ejus actionibus, licet illis persona immediate tribuatur: Atqui infinitas est attributum essentielle divinum: Ergo infinitas non potest immediate tribui vel humanitati vel ejus actionibus, licet eis persona immediate tribuatur.

XVIII. Major est Jesuitarum, ut rursus constat ex iis, quæ in præcedentibus disputavimus, & ex ipsorum scriptis allegavimus. Minor est indubitatae veritatis: Ergo Jesuitæ conclusionem, huic suæ assertioni contradicentem, proindeque quod sibi rursus pessimè contradicant, negare non possunt.

XIX. Tertiò: Quæ persona naturam in actione suâ non tantum sustentat, sed etiam terminat, illa ipsa persona naturam istam in actione suâ ad certum *ὑποτέλεσμα* producendum dirigit, proindeque per illam agit. Atqui Verbi persona humanam naturam in actione suâ non tantum sustentat, sed
etiam

etiam terminat : Ergo verbi persona humanam naturam in actione suâ ad certum ἀπέλευμα producendum dirigit, proindeque per illam agit.

XX. Major certa est : Nam terminare actionem, est illam ad certum terminum, finem & effectum dirigere, & sic revera per illam agere, nempe efficere ut hoc, ad quod terminatur ac dirigitur actio, & non aliud producat. Sic terminat actionem mallei faber, proindeque illam dirigit & per illam agit & opus illud, quod intendit, perficit. Minor est ipsius Becani : Ergo conclusionem quoque concedit necesse est.

XXI. Concessâ ergo conclusione, sic progredimur : Persona verbi dirigit & agit per humanæ naturæ actionem, sive per ipsam humanitatem aut virtute personali, aut virtute naturali : Non illa : quia non datur. Ergo virtute naturali sive naturæ divinæ agit persona λόγος per humanitatem. Si autem hoc, concedendum utique erit, virtutem divinam per communicationem agere in, cum & per humanam naturam. Quod aliâs negant Pontificii & Jesuitæ.

XXII. Quartò : Illa infinitas, quam merito & actionibus humanitatis Christi tribuunt, aut est realis & vera infinitas, aut est nulla. Nam inter ens & non ens non datur medium. Si est vera, est ipsius Dei infinitas & essentielle attributum : quandoquidem ut nullum datur infinitum nisi Deus ; sic nulla datur infinitas, quam Deitas ipsa. Si non est vera : tunc Jesuitarum assertio est figmentum, & pessima deceptio. Eligant Jesuitæ utrum velint, capti sunt. Si enim prius, tum sic argumentamur : Qui tribuunt effectis humanitatis infinitatem, & sic idioma divinum : illi humanitati idiomata divina communicata esse, negare non possunt : At verò hoc negant Jesuitæ : Ergo illud concedentes sibi pessimè contradicunt. Si postrius : se imposteros, deceptores & Sophistas palàm prostituunt.

XXIII. Quintò: valor infinitus meriti Christi, quem
asserit ac defendit Becanus, aut revera dicitur infinitus propter
efficaciam productionis infinitam, vel non revera sic dicitur in-
finitus, sed tantum Deus captus amore personæ filii, quæ hu-
manam naturam sustentat, ei id tribuit, & pro infinito accipit,
licet infiniti in eo revera nihil sit. Si illud: Meritum quidem
Christi justitiæ divinæ infinitæ satisfacit: Verùm quomodo il-
lud sine communicatione virtutis infinitæ divinæ cum eo, à quo
meritum illud proficiscitur, (nempè cum humanitate, quam
solam hic agere dicunt Jesuitæ ut principium quo) fieri possit,
nunquam demonstrabitur.

XXIV. Nam cum ipsa actio non sit infinita, & verò in-
finiti aliquid in se habere debeat, oportet aliundè accipiat.
Quocirca necesse est rationem infiniti valoris accipiat inde,
quòd propter impossibilitatem productionis non nisi ab infini-
tâ virtute proficisci & pendere potuerit.

XXV. Quare licet etiam hoc modo ipsa actio, finita sit,
est tamen dependentia ejus, ab infinitâ *δυναμὴ* & *ἐνεργεία* &
sic respectu termini à quo infinita. Hanc vero infinitam *ἐνε-
ργείαν* cum negent Jesuitæ in hisce actionibus Christi, nullo
modo infiniti quid illis queunt tribuere, neque ratione termi-
ni à quo pendent illæ actiones: pendent enim juxta ipsorum
opinionem, tantum à virtute & *ἐνεργεία* humanitatis, quæ ut
ipsa, sic quoque illius *ἐνεργεία* finitæ sunt, nequaquam infi-
nitæ: Neque ratione ipsius essentiæ: Sunt enim & fuerunt
actiones transeuntes, dependentes tantum à virtute humanita-
tis finitæ, ut volunt rursus Jesuitæ: Finita ergò fuit essentia ha-
rum actionum; quæ infinitam effectiorem ex se & in se non ha-
bet. Non ratione termini ad quem: Is enim est vel homo
redimendus, vel ipsa justitia divina infinita. Is infinitatem
actionibus hisce conferre nequit, cum totus finitus sit; infini-
tam quidem & indeterminatam imaginis divinæ privationem
patiebatur: Sed hæc non potest actum infinitum in se agentem
constituere: cum potius actus infinitus illam infinitam impos-
sibilitatem privationis istius debeat tollere & actum novum
justi-

justitiæ sanctitatis veritatisque introducere. Non ratione justitiæ Dei; cum inter essentiam simul & causam efficientem harum actionum, (nempe ex sententia Jesuitarum) & deinde inter justitiam Dei læsam nulla sit proportio: & justitia divina neque in causam illam efficientem, neque in illius actiones agere possit: quippe quæ ipsa actionem satisfactoriam urgeat ac postulet: Quare potius causa efficiens harum actionum, ut & actiones ipsæ, in hanc Dei justitiam proportionaliter agere debent, nempe illi satisfacere: proportionaliter verò in eam agere, illique satisfacere non possunt, nisi id fiat per actionem à virtute infinità proficiscentem.

XXVI. Excipient Jesuitæ, *committi insufficientem partium enumerationem. Cum adhuc quartum supersit, nempe infinita dignitas personæ verbi.* Sed exceptio hæc nulla est; cum enim Jesuitæ hic distinguant inter attributa divina & personam: Personamque immediatè cum humanitate communicatam asserant, idiomata verò divina communicata immediatè esse, proindeque illa humanitatem ullo modo determinare posse negent; quomodo quæso ob infinitatem personæ agentis, sive ejus infinitam dignitatem, in finitum valorem, actiones meritoria Christi participare potuerunt? Cum juxta Jesuitarum opinionem per se non sit infinita, sed per naturam divinam: & verò hic personam divinam agere statuunt, non simul per naturam divinam infinitam; sed tantum per humanam finitam; quippe secundum quam tantum sit mediator. Judicet qui judicio non caret, annon assertio hæc Jesuitica ubique contradictiones involvat evidentes & pessimas.

XXVII. Progredimur nunc ad secundam responsionem Becani: *Secundò, inquit, potest hoc intelligi, quod actiones Christi acceperunt illum valorem ex infinita dignitate humane nature, non præcisè sumptæ, sed quatenus per divinitatem erat sanctificata & quasi Deificata. Nam divinitas in Christo fuit quasi forma quadam sanctificans & Deificans humanitatem: ac proinde actiones humanitatis procedebant ab humanitate sanctificata & Deificata, ideoque erant infiniti valoris & dignitatis.* Hæc posterior explicatio conformior

B

est



est doctrina Patrum, quos citavi cap. 8. q. 1. concl. 1. Et eam sequitur
Vasquez. disp. 5. c. 3.

XXVIII. Et hic quædam monenda sunt. Primum ar-
bitramur, Jesuitam per humanam naturam præcisè sumtam,
intelligere humanam naturam in se sumtam & in nudâ suâ es-
sentiâ, & sic in abstracto consideratam. Eo modo libenter
concedimus, quod infinitæ dignitatis suarum actionum, & sic
meriti causa prima esse nequeat: Quandoquidem infinitum
non nisi ab infinito esse potest, & finitum infinitum non ef-
ficat.

XXIX. Quare secundò ambabus manibus largimur,
quod infinitus ille valor meriti Christi, sit profectus ab huma-
nâ ejus naturâ, quatenus per divinitatē fuit sanctificata, & qua-
si Deificata: ac proinde actiones humanitatis processerint ab
humanitate sanctificata & Deificata. Totum, inquam, illud
concedimus, & consentit cum illis, quæ modo contra Jesui-
tam disputavimus: oportuit enim vim sanctificandi, efficaci-
am infinitam tribuendi primùm inesse humanitati, quàm ejus
operationibus; rectè quæ dici illas infiniti valoris propterea, quod
infinitam virtutem humanitas operans & illas producens,
communicatam habeat.

XXX. Uti etiam tertium libenter admittimus: Nempè
divinitatem in Christo fuisse quasi formam quandam sanctifi-
cantem & Deificantem humanitatem: ut inde ejusmodi actio-
nes infiniti valoris proficisci potuerint.

XXXI. Concedimus etiam quartum, hanc & nullam ali-
am esse sententiam Patrum, & quidem non tantum illorum,
quos citavit Jesuita cap. 8. q. 1. concl. 1. sed in universum omni-
um. Quandoquidem omnes concedunt unctam esse huma-
nitatem Deitate: & propterea, quemadmodum unguentum
in unctione & per illam penetrat totum istud corpus, quod
ungitur, sequè cum illo communicat: sic quoque volunt Pa-
tres ex humanitate & divinitate per unctionem illam ac hypo-
staticam unionem ita unum factum esse suppositum, ut divina
natura humanam admirabili *ἡ ἕνωσις* permeet, *σωματικῶς*
in

in eâ habitet, seque totam illi communicet, haud secus ac forma se communicet cum materiâ, illam perficiendo, seipsam suasq; virtutes omnes, cum illâ communicando.

XXXII. Verùm si ita seriò statuât Becanus cum Vasquez, quæritur, annon sibi rursus contradicat, quando in præcedentibus communicationem idiomatum expressè & in totum negat: uti videre ac legere est in hoc ipso tractatu Becani præcipuè cap. 6. & 7. Quæque in præcedentibus à nobis sunt refutata.

XXXIII. Ut autem contradictio manifesta sit, primùm sic argumentamur. Quodcunq; in se habet infinitam dignitatem, illud in se habet infinitatem. Atqui humana natura in se habet infinitam dignitatem: Ergò humana natura in se habet infinitatem. Major est certa: Nam infinita dignitas & ipsa infinitas in Deo sunt idem.

XXXIV. Excipis: Hic non esse quæstionem de attributis divinis ut sunt in Deitate; sed ut sunt in humanitate. Sic est, sed argumentor: Illa infinita dignitas in humanitate; à qua fluit infinitus valor actionum ejus, aut est ipsa infinita virtus Dei, quæ est Dei essentialis, & sic ipsa infinitas, imò ipsa essentia divina: aut est ejus effectus in humanitate productus: cum tertium dari sit planè *ἀδύνατον*: sed non est effectus: nullus enim effectus, ex Dei virtute operante progrediens, est infinitus: cum infinitum non sit factibile, sive producibile. Quodcunq; enim infinitum est, Deus est: Deum autem fieri aut produci, magis est impossibile, quàm dare duo infinita, vel etiam dare Deum mutabilem & factitium: Ergò est ipsa Dei infinitas.

XXXV. Excipis rursus contra datam hypothesin, hic inter virtutem divinam & effectum ejus, non dari tertium; omninò dari tertium, nempè *ἐνέργεια*.

XXXVI. Respondemus negando id in immediatis actionibus divinis, ubi nulla omninò datur distinctio inter *δύναμιν* & *ἐνέργεια* (licet propter meliorem concipiendi & intelligendi modum nos quandam distinctionem interdum

faciamus. Illa verò in Deo propterea non est & ejus immedia-
tis actionibus, sed tantùm in intellectu & conceptu nostro)
Jam verò Divinitatis sanctificatio & Deificatio (qua per unio-
nem hypostaticam & in eâ humanam naturam sanctificat &
Deificat, ac sic infinitam dignitatem tribuit) est immediata
Dei actio, quâ divinitas immediatè humanam naturam tangit,
& in ipsam agit, eamque perficit, Ergo in illâ *δύναμις* & *ἐνεργε-
σια* non possunt nec debent distingui. Major probatur. Nam
quæ Deus immediatè producit, producit per *σοφίαν* seu essenti-
am: proindeq; *σοφία* sive essentia & *δύναμις* sunt idem in Deo.
Deinde progressus à *δυνάμει* ad *ἐνεργίαν* fit per elevationem
δυνάμεως: quæ rursus non fit sine mutatione reali agentis. At
hæc in Deum non cadit. Ego enim Deus sum, inquit Jehovah,
& non mutor.

XXXVII. Ergo quia per unionem hypostaticam Becanus concedit, humanitatem accepisse dignitatem infinitam, illa autem effectus Dei esse nequeat, utique concedat necesse est, ipsam divinam infinitatem humanitati esse communicatam.

XXXVIII. Quicumq; porrò cogitur per suas hypotheses concedere, per unionem hypostaticam in se habere humanitatem, infinitatem, & sic infinitam virtutem, per quam illa actiones producere queat infinitum habentes valorem: ille utique cogitur concedere humanam naturam esse omnipotentem, & habere idiomatica divina communicata: Atqui Becanus cum Vasquez & aliis Jesuitis nonnullis per suas hypotheses cogitur concedere, humanitatem per unionem hypostaticam in se habere infinitatem, & sic infinitam virtutem, per quam illa actiones queat producere infinitum habentes valorem: Ergo Becanus cum Vasquez &c. coguntur etiam concedere humanam naturam esse omnipotentem, & habere communicata idiomatica divina: proindeq; sibi contradicere: quippe qui alias communicationem hanc strenuè negant.

XXXIX. Deinde concedit Becanus, quòd Divinitas in Christo fuerit quasi forma quædam, humanitatem sanctificans & Dei-

& Deificans, ut ipsa sic sanctificata & Deificata actiones infiniti valoris ac dignitatis edere posset. Stante hac hypothese: subsumo, Divinitas in illa sanctificatione & Deificatione aut se habet ad humanitatem ut forma assistens, aut ut forma informans.

X L. Si ut forma assistens, tunc non est major unio personalis, quam accidentalis, qualis est inter navem & nautam, qui est illius forma assistens, & per eam duntaxat operatur. 2. non etiam potest infinite sanctificari, proindeque non Deificari per Deitatem humanitas. Nam ut per accidentales illas operationes, quas in gubernanda navi præstat nauta, non eam, ut ita dicere liceat, hominificat vel vivificat navem, quippe qui nullas essentielles & proprias virtutes cum illa communicat, sed tantum operatur per illam, communicando *ενεργησας*, non autem virtutes sive potentias. Sic quoque si Divina natura in humanitate habet duntaxat rationem formæ assistentis, tunc infinite illam non potest sanctificare; quia eam non potest Deificare: proindeque non communicare efficaciam sive virtutem conferendi suis actionibus infinitam dignitatem: sed se habebit Divinitas in actionibus ad humanitatem, ut se habet eadem sive Deus ipse ad Elisæum, ad Mosen &c. in producendis actionibus miraculosis; ubi quidem etiam erat quædam sanctificatio illorum Prophetarum, nempe erat peculiaris assistentia Spiritus sancti, non verò erat Deificatio, & talis unio, ex qua actionum infinitus valor fluere potuisset. Quandoquidem ibi Prophetæ tantum agebant moraliter, non efficienter: Solus Deus agebat efficaciter & sic infinito modo, non propriè per, sed duntaxat secundum & juxta illas morales actiones Prophetarum. Ac propterea non erant actiones Prophetarum, vel etiam in Novo Testamento Apostolorum, sed Dei & Christi. Idem prorsus hoc modo de humanâ natura & ejus actionibus statuendum esset. Quod verò absurdissimum esse in Theologia, quis non videt?

X L I. Tollit ergo hæc sententia unionem arctissimam
B 3 & hy-

& hypostaticam duarum naturarum in Christo. 2. Humanam naturam Deificatam & ultra consortes suos, Prophetas & Apostolos, sanctificatam esse inficiatur. 3. Humanitatem in actionibus infinitum valorem habentibus, aliquid effecisse vel ad illas contrulisse negat, sicque sententiæ Becani contradicit.

XLII. Ergo Deitas in illa sanctificatione & Deificatione habebit se instar formæ informantis. In sententia hac sunt omnes Patres, unde & similitudine, ab unione animæ & corporis desumptâ, ad mysticam hanc unionem hypostaticam, duarum naturarum in Christo explicandam, utitur in suo symbolo Athanasius, & hunc secutus Cyrillus in epistolâ synodicâ, dicens: *Verbum in assumpta natura talem sibi inhabitationem fecit, qualem anima hominis creditur ad proprium corpus.*

XLIII. Quare ut in homine, utpote Petro, Paulo &c. homo non est tertium quiddam, subjecto diversum ab anima & corpore unitis: licet ex utroque compositum, & ratione tertium sit (in rei enim veritate homo nihil est aliud, quam anima & corpus unita, quemadmodum totum nihil aliud est, quam omnes suæ partes unitæ) sic quoque imò multo magis in Christo non poterimus personam Christi à duabus naturis dirimere, & tanquam tertium quiddam præter naturas, constituere.

XLIV. Multò minus (inquam) id hæc in re, nempe in unione personali duarum naturarum Christi, procedit, ut tertium, nempe persona, à duabus naturis distincta, resulter, quæ non sit ipsæ naturæ unitæ: Quandoquidem Orthodoxi Ecclesiæ doctores veteres & recentiores similitudinem istam hominis ab unione personali in Christo in eo differre, inter cætera asserunt; quod in unione animæ & corporis evadat tertia quædam species, quæ est homo: quod in unione duarum naturarum in Christo non fiat. Duæ enim naturæ in Christo non constituunt naturam tertiam compositam, sed personam compositam.

XLV. Quod ut fiat manifestius, sic argumentamur: Persona Christi aut est aliquid præter duas naturas unitas: aut non est. Si illud statuatur, nempe personam Christi esse aliquid præter duas naturas unitas; utique erit aut persona, aut natura.

Si

Si persona, duæ statim in Christo personæ afferuntur: Una, vera illa & à pia vetustate asserta, & sic descripta, quod sit ex duabus & in duabus, & ipsæ duæ naturæ unitæ, nempe secunda Divinitatis persona, ab omni æternitate ἀσκή, nunc ἐνοική; altera verò ficta & picta; quæ non sit duæ naturæ, sed diversum quid à duabus naturis. Quid verò absurdius in universa Theologia fingi potest?

XLVI. Ut enim ibi oritur personarum in sacrosancta Trinitate quaternitas; ita hic una indivisa simplicissima, & sic ἀπλωῆς una essentia divina, geminatur.

XLVII. Quæ cum ita sint, sequitur porro, sicut anima substantia sua non est extra corpus; tota quippe suo corpori unita: sic totus incarnatus λόγος extra suam carnem nec est, nec quæri, nec inveniri potest. Ut etiam ad unionem animæ & corporis, requiritur ipsorum inter se κοινωνία, quæ anima corporis particeps, & rursus cum corpore anima sese communicet: sic ad unionem duarum naturarum in Christo, requiritur ipsorum inter se κοινωνία, quæ λόγος carnis & sanguinis μετέχει, Heb. 2. v. 14. & vicissim assumptæ carni se totum ita communicet, ut antiquitate teste, ὑπόστασις verbi, sit quoque carnis hypostasis: & humana Domini caro ipsius Deitatis seu divinæ naturæ καὶ ὑπόστασιν particeps evadat.

XLVIII. Quæ verò hypostasis cum à natura divina re non differat; sed duntaxat ratione distinguatur: sequitur persona realissimè communicatâ, simul reverà communicatam fuisse ipsam naturam cum omnibus suis proprietatibus, proindeque communicationem hanc non modo realem, id est, veram & ἰσώδη: sed etiam, ut sic dicamus, ἰσισωδέπτω, realissimam esse, quæ naturæ veram ac realissimam communicationem inter se habeant, λόγος divinam suam Majestatem, & seipsum totum assumptæ humanitati communicet, & omnia propria, infirmitates quoque & passiones veræ nostræ carnis, sed peccato excepto, tanquam sibi proprias suscipiat & sibi appropriet.

XLIX. Atq; hoc ipsum est, quod Oecumenius in commenta-
super Epistolam ad Colofs. 2. scribit : πᾶν πλήρωμα τῆς θε-
οῦ ἐκεῖ ᾤκησε, ἔχ' ἐνεργεία, ἀλλ' ἰσότη, κατοικεῖ ἔχει-
κῶς ἀλλ' ἰσοδύως : ὡς ψυχὴ ἐν σώματι, ἔχει ψυχὴν ἡρόμην τὰ
σώματι, ἀλλὰ σώματι ἐμψυχωμένῳ ἐνωθεὶς ὁν τρόπον ἐν ἑαυτῇ
ψυχὴν σώματι, hoc est, *Tota plenitudo, hoc est, totus Filius, ibi ha-*
bitavit, non solum operatione, sed ipsa essentia: non nudā habitudine
ἔχει respectu, sed essentialiter: quemadmodum anima in corpore habitat.
Non quidem factus anima corpori, sed corpori animato eo modo
unitus, quo anima corpori unita est.

L. Concludimus ergo, si Becanus cum suis affectis, in hac
suā sententia constanter perseverare velit, nempe *Divinitatem*
in Christo fuisse quasi formam quandam sanctificantem ἔχει Deifican-
tem humanitatem; tum oportet, ut vel hæc absurda probet &
statuet, aut humanam naturam non magis unitam esse λόγῳ
atque cæteras creaturas, quas sustentat Act. 17, 17. aut 2. tres
esse naturas in persona Christi; aut 3. quatuor esse personas
in sancta Trinitate: vel nobiscum veram orthodoxorum Pa-
trum sententiam approbet, λόγον ad humanam naturam ha-
bere se, ut animam ad suum corpus, proindeque ut formam
informantem ad suam materiam, realemque esse verissimamque;
& naturarum & idiomatum communicationem: eoque sibi
contradicere.

LI. Sentit & agnoscit nodum hunc Becanus: Quare il-
lum in subsequentibus, & quidem in secunda objectione
§. 4. solvere conatur hoc modo & his verbis: *Dices 2. si*
humanitas Christi potest sanctificari ἔχει quasi Deificari per Divi-
nitatem, ut dictum est, potest etiam fieri omnipotens ἔχει immen-
sa per omnipotentiam ἔχει immensitatem Dei, sicut docent Luthe-
rani, cum sit par ratio. At consequens est falsum: Ergo ἔχει
illud, ex quo sequitur. Respondeo, non est par ratio. Nam
Lutherani docent, omnipotentiam ἔχει immensitatem imme-
diatè communicari humanitati, ita ut humanitas formaliter
ἔχει immediatè sit omnipotens ἔχει immensa. At nos non di-
cimus,

PIA. 27

non dicimus . divinitatem immediatè uniri humanitati, sed mediante subsistentia verbi. Quod nihil est aliud, quàm divinam & humanam naturam in unâ eademq; persona uniri & subsistere : Et ex hac unione fieri, ut humanitas sanctificetur & quasi Deificetur ex consortio Divinitatis in eadem personâ.

LII. Respondemus 1. negando nos statuere humanam Christi naturam esse immensam : ut ex præcedentibus patet. Deinde Jesuitam latere & decipere sub elencho æquivocationis in phrasi *immediatè & mediatè communicari*. Mediatè communicari primùm dici potest vel quod per tertium & tanquam realiter distinctum communicatur : vel quod per certam rationem & modum est limitatum & determinatum, & sic, in illâ limitatione & determinatione est communicatum.

LIII. Hoc posteriore modo non negamus divinam naturam mediatè, nempe mediante subsistentiâ verbi humanitati uniri & communicari. Quandoquidem eandem simplicissimam essentiam divinam consideramus vel absolutè, quo modo communis est tribus personis, imò nihil aliud est, quàm tota Trinitas : vel relatè sicut tota est in singulis personis. Atqui hujus distinctionis consideratione omnes orthodoxi & Lutherani Theologi rectè affirmant, non naturam divinam simpliciter primò (id quod citra reliquarum Trinitatis ὑποστάσεων incarnationem fieri nequiquam potuisset) sed ὑπόστασιν τὸ λόγος primò & immediatè, ac proinde mediante hac ὑπόστασὶ τὸ λόγος, Deitatem naturæ assumptæ unitam esse.

LIV. Ubi verò sciendum est, quod hoc modo ὑπόστασιν non faciamus realiter distinctam ab ἰσσία divina, cum non nisi λόγῳ differat. Quare mediante ὑπόστασὶ unitam esse & communicatam divinam naturam humanitati nobis perinde est, ac si dicamus, divinam naturam non absolutè, sed relatè sumtam, nempe prout illa secunda personæ Trinitatis limitata est & subsistit, communicatam esse : & hoc modo rursus dicimus, Divinam naturam ὑπόστασὶ secunda Trinitatis limitatam & subsistentem, hoc est λόγον ipsum humanitati immediatè unitum & communicatum esse!

L V. Si autem quis cum Jesuitis velit fingere personam tertium quid, realiter a naturis distinctum esse, & divinitatem uniri humanitati, mediante subsistentia Verbi: idque nihil esse aliud, quam divinam & humanam naturam in una eademque personam uniri atque subsistere; tunc negamus & pernegamus recte dici, divinam naturam vel etiam omnipotentiam divinam mediate communicatam esse: tum quia tale medium non datur, & persona τὸ λόγῳ nequaquam esse potest tale medium: quod communicatum realiter, non faciat ut simul natura divina realiter communicetur, ut statuit Becanus & ceteri Jesuitæ omnes, certum enim est, ut diximus, tantum λόγῳ naturam & personam τὸ λόγῳ differere: Tum quia eo ipso unio personalis negatur, & vitiosissima petitio principii committitur.

L VI. Negatur unio personalis: Quippe quæ in naturarum κοινωνία consistit, nec est nuda παρέσσις assistentia, seu παρέσσις appositio naturarum, qualem fingit cum suis Jesuitis Becanus, quando ait: *divinitatem uniri humanitati mediante subsistentia verbi, nihil aliud esse, quam divinam & humanam naturam in una eademque personam uniri & subsistere.* Item humanitatem quasi Deificari tantum ex consortio divinitatis, in nudam personam: & in subsequente §. 5. humanitatem sanctificari & quasi Deificari ex presentia tantum divinitatis. Quid verò est Nestorianam hæresin plenis, quod aiunt, velis in Ecclesiam Christi introducere, si hoc non est?

L VII. Quandoquidem Nestorius non ideo damnatus est, quod duas Christi personas expressè docuisset, ut quidem cum Calvinianis censent Jesuitæ, historiam injuriam facientes. Nestorius enim constanter asseruit, non duas, sed unam esse Christi personam, ut in secundo Tomo conciliorum p. 664 scriptum est, quod etiam D. Augustinus Epistola 95. & 96. & Tripartita historia libr. 11. cap. 5. & ex his Lutherus in libro de concilio & Ecclesia testatur: Interim negavit Nestorius communicationem idiomatum.

L I X. Ephesini igitur patres non tam dogma Nestorii, quam id, quod necessariam consequentiam ex eo colligitur, anathemate perstinxerunt, & Nestorium in fundamento statuere asseruerunt, duas esse Christi personas: qui tamen expressè hoc non docuit, ideoque sibi injuriam fieri conquestus est.

LIX. Interim orthodoxi illi patres probè intellexerunt, unionem personalem absq; idiomatum communicatione factam esse non posse. Sic enim colligebant: Qui negat communicationem idiomatum, ille cum Paulo Samosateno dividit personam Christi. (Nam de illo ita scribit Theodorus Presbyter: *Paulus quidem iisdem, quibus Manes, temporibus Samosatenus quidem ortu, sed Antiochus Syriæ Antistes, Dominum impiè dixit nudum esse hominem, in quo Deus verbum, sicut etiam in singulis Prophetis, habitavit; ac proinde duas naturas separatas, & citra omnem prorsus inter se communicationem in Christo esse: quasi alius sit Christus, alius Deus Verbum in ipso habitans.*) Nestorius autem modo eodem, quo Paulus Samosatenus, negat idiomatum communicationem: Ergo Nestorius eodem, quo ille, personam Christi distrahit.

LX. Pari modo & nos argumentari possumus. Qui negat communicationem Idiomatum, ille dividit personam Christi eodem modo, quo Nestorius: Jesuitæ cum Calvinianis negant communicationem idiomatum: Ergo Jesuitæ cum Calvinistis personam Christi eodem modo dividunt, quo Nestorius.

LXI. Porrò evidens est, vitiosè & subdolè Becanum, *ὁ ἐν ἀρχῇ αἰτεῖσθαι*. Quandoquidem ut communicationem idiomatum sophisticè negare possit: *Nos dicemus* (inquit) *divinitatem uniri humanitati, mediante subsistentia verbi*: Quod nihil aliud est, quàm divinam & humanam naturam in unâ eademque personâ uniri atque subsistere humanam & divinam naturam in unione personali unitas esse: quia sic unitæ sint: Quid verò hoc est aliud dicere: Quam unionem personalem esse unionem personalem. Quandoquidem hoc ipsum *κένωμενον* est, de quo controversitur: Quid sit illud: *divinam & humanam naturam in unam personam unitam esse*; proindeq; quid sit quod unionem hypostaticam ab omnibus aliis unionis sive præsentia modis distinguat. Quod cum neque Jesuitæ neque Sacramentarii explicent, mancam omnino, mutilam & imperfectam descriptionem unionis hypostaticæ Ecclesiæ obtrudunt: idq; nullam aliam ob causam, quam ut suam erroneam opinionem occultent & incautos decipiant.

LXII. Quod si verò descriptiones unionis hypostaticæ, quas sacra scriptura nobis proponit, diligentius intueamur, manifestissimum evadet, semper conjungi mentionem consequentis ipsam unionem: Quod consequens sive concomitans *κοινωνία* sive communicationem nominamus, ex qua vel maximè unionis hoc mysterium elucet. Sic *Johan. 1. v. 14.* Cum descripsisset Evangelista & Apostolus unionem personalem, dicens: *Verbum caro factum est: statim subjungit: & vidimus ejus gloriam, gloriam tanquam unigeniti à patre, plenum gratiâ & veritate.* Et *Luc. 1. v. 32.* Angelus conceptionem Mariæ annuncians, statim subjicit *v. 15. Quod ex te nascetur Sanctum, Filius Dei vocabitur &c.* & hoc ipsum est, quod Johannes pronunciat, *pater non dat filio spiritum ad mensuram Johan. 3. v. 34.* Et quod Apostolus omnem plenitudinem Deitatis in Christo *συνωικνωσ*, habitare: imò omnes thesauros sapientiæ & scientiæ in ipso esse reconditos asserit *Col. 1. v. 19. cap. 2. v. 3. & 9.*

LXIII. Unde firmiter colligimus ex *κοινωνία* hanc sive communicationem, de verâ unionis hypostaticæ definitione sive differentia specificâ statuendum esse. Uti illud alibi pluribus declaravimus & demonstravimus.

LXIV. Cæterùm pluribus sententiam suam explicat Becanus sequenti §. 5. Quando ita pergit. Itaq; magna differentia est inter hos duos modos loquendi: *Humanitas sanctificatur & quasi Deificatur ex presentia Divinitatis: & humanitas est omnipotens & immensa per divinam omnipotentiam & immensitatem.* Nam in hoc posteriori significatur, humanitatem in seipsâ habere formalem effectum per informationem realis formæ: ita ut in seipsâ realiter & formaliter facta sit omnipotens & immensa per divinam omnipotentiam & immensitatem, quod falsum est. At in priori tantum significatur, humanitatem esse Sanctam & Deo gratam per unionem cum Divinitate in eadem subsistentia. Hoc autem nihil reale ponit in humanitate, præter solam conjunctionem substantialem, quâ immediatè conjungitur cum personâ Verbi, & illa mediante, cum Divinitate.

LXV. Initio rursus protestamur, nos nequaquam statuere vel defendere humanam naturam infinitam esse. Nam licet illi omnipræsentiam tribuamus, id tamen nequaquam facimus propter

propter illius infinitatem: sed quia cum infinito λόγος est unita,
& ad dextram patris exaltata sedens modo divino omnipoten-
ter in omnibus creaturis operatur: Omnipræsentem itaq; Ma-
jestatem humanitatis non fundamus in infinitate, sed in unione
hypostatica & sessione ad dextram Dei.

LXVI. Deinde & hoc negamus, nostram sententiam
esse hanc, quasi humanitas in seipsa habeat formalem effectum per infor-
mationem realis formæ, ita ut in seipsa realiter & formaliter facta sit omni-
potens per divinam omnipotentiam.

LXVII. Negamus inquam & perengamus, hanc nostram
esse sententiam. I. Absit enim a nobis fingere in humanam natu-
ram omnipotentiam, quæ sit effectus omnipotentia divina: id e-
nim esset novum Deum fingere, & contradictionem in adjecto
involvere. Illud, quia nihil omnipotens est vel nulla omni-
potentia est, quæ non sit Deus vel Dei. Hoc: faceremus enim in-
creatum creatum. Nam omnipotens est creator: & quod fa-
ctum est, est creatura: proindeque omnipotentia facta, est in-
creatum creatum.

LXVIII. Deinde absit, ut fingamus humanam naturam
habere effectum illum omnipotentem per informationem rea-
lis formæ. Nam realis illa forma esset ipsa divinitas, quemad-
modum realis forma in homine est anima: & omnipotentia ef-
set affectio fluens ex divinitate in humanitatem: quemadmo-
dum a forma essentialiter informante & sic ab anima humana
fluunt affectiones & producuntur in corpore humano, ut non
tantum formaliter per ipsam animam, sed etiam effectivè per a-
ctiones vitales, proficiscentes ab anima in corpus, ipsum revera
vivat ac potens sit.

LXIX. Nam præter hoc absurdum inde emergens, quod
rursus introduceretur omnipotentia producta, & sic factitius &
creatus Deus, & hoc alterum stabiliretur, nempe unionem Di-
vinæ & Humanæ naturæ esse non tantum personalem, sed etiam
essentialem, duasq; illas in Christo naturas constituere unam
tertiam compositam, haud secus ac in unione animæ & corpo-
ris evadit tertia quædam species, quæ est homo. Quod verò ore

C. 3.

& cor-

& corde protestamur, approbantes & confitentes, unionem
duarum naturarum in Christo non esse essentialem, sed persona-
lem: Neque duas illas naturas constituere tertiam, compo-
sitam naturam, sed unam compositam personam.

LXX. Verissimam tamen dicimus esse illam unionem
arctissimam, simulq; asserimus eam adeò singularem *μονότροπον*
καὶ ἐξείρετον, ὑπὲρ φύσιν, ὑπὲρ νόον, ὑπὲρ κατάληψιν, ut de eâ
nihil dici queat, quàm quod manifestis scripturæ dictis nobis
est revelatum: vel quod ex illis firmâ consequentia deducitur:
uti est Patrum illa arctissima *περιχώρησις*, quâ naturas in Chri-
sto sine conversione aut abolitione *περιχωρεῖν ἐν ἀλλήλαις*, in
se mutuò quasi immigrare & permeare asserunt, *Damasc. lib. 3. Or-
thod. fid. c. 3. Quiq; lib. 4. c. 19.* Scribit: Propter unionem secundum ἁπό-
στασιν & caro Deificari dicitur & Deus fieri, & simul Deus verbum incar-
nari & homo fieri. Non ut duabus naturis mutatis in unam naturam com-
positam, sed ut duabus naturis secundum ἁπόστασιν unitis, & τὴν εἰς
ἀλλήλας περιχώρουν ἀσύγχυτον, in se invicem immansionem haben-
tibus inconfusam & immutabilem. Atque hanc arctissimam unio-
nem nonnulli Patres *μίξιν* seu *σύγκρασιν* mixtionem appellare
haud dubitarunt, uti videre est apud *Naxianzenum*, exclamantem
in conc. ὡ τῆς καινῆς μίξεως, ὡ τῆς παραδόξου κράσεως: Et *Epi-
phanium in Ancorato* dicentem, *τὰ δύο κέρασας εἰς ἓν*: Et *Irenæum*,
lib. 4. cap. 37. asserentem *Filium hominis commixtum esse Filio Dei.*

LXXI. Neque verò Physicam aliquam & corruptivam
mixtionem utriusq; naturæ in tertium quiddam, quæ *Aristoteli*
lib. 7. de generat. & corrupt. cap. 8. est τῶν μικτῶν ἀλλασθεντων ἔνω-
σις, intellexerunt. ἁπόστασις namque τὸ λόγῳ simplicissima
& purissima cum sit, nullo certè modo, quantumvis subtili, al-
terum fingi, misceri aut mutari potest: sed arctissimam & imper-
scrutabilem planè duarum naturarum, divinæ & humanæ, in
Christo mutuam ad sese *κοινωνίαν* his vocabulis significare vo-
luerunt: proindeq; horum unionem sese non habere, ut se ha-
bet duorum asserum *παράθεσις* & conglutinatio; sed arctissi-
mam illis intercedere ad invicem *κοινωνίαν*: à qua *ιδιωμάτων* cō-
municatio nullo modo excludi possit.

LXXII. Hisce utimur fundamentis ac modis, quibus confirmati idiomata divina humanitati tribuimus: nempe per communicationem, non per informationem. Utimur quidem in mysterio hoc declarando cum Patribus simili a formâ informantis & materia, nempe a corpore humano & anima desumpto, uti modo diximus, non vero illo eo fine utimur, ut demonstremus, eandem esse planè rationem hujus hypostaticæ unionis, absit hoc: sed eo fine id adducimus, ut ostendamus, naturas hæc diversissimas, divinam & humanam, unitas esse ἀτρέπτως καὶ ἀσυγχήτως, non sine summa & ineffabili κοινωσίᾳ τῆς ὑπόστασεως καὶ ἰδιομάτων τῶν λόγων in humanitatem assumptam, id quod præ cæteris eruditè explicat *Justinus Martyr Expos. fid. sol. 300.*

LXXIII. Similitudine ergo illâ tantum exponimus ὅτι quod ejusmodi naturarum & consequenter idiomatum divinorum realis communicatio sit in personâ Christi, διότι in summo mysterio relinquentes, in quod vel ipsi Angeli desiderant παρρησίᾳ.

LXXIV. Negæ ergo sunt, nos statuere per informationem realis formæ hanc communicationem fieri: quandoquidem hic modus non est mysticus, sed in naturâ usitatissimus: negamus etiâ divinâ naturâ esse formam humanæ naturæ: sed hoc dicimus: quia hypostasis τῶν λόγων realiter est communicata humanitati, concedentibus ipsis Jesuitis, quod etiam natura & consequenter ejus idiomata, sint communicata: cum ὑπόστασις & natura idiomataque divina, non nisi λόγῳ distinguantur, re ipsa vero unum & idem sint: proindeque unum sine altero nequaquam communicari possit. Modum autem, quo id factum sit vel fiat, præter hypostaticū & realem in mysterio relinquimus: dicimusque, si etiam in accidentalibus unionibus, ut in ferro candente (quo simili etiam in profundo hoc mysterio usi sunt Origenes, Basilus, Damascenus) ignis agit cum communicatione ferri, & rursum ferrum cum communicatione ignis, ita ut ferrum rectè dicatur urere, lucere &c. quis similem communicationem negaret in arctissimâ hac unionem hypostaticâ, quæ ejusmodi uniones suâ perfectione infinitis modis superat: simulque sacra Scriptura idem asserit.

75. Ad.

LXXV. Adde, quod in voce *Formaliter* magna delitescat ambiguitas. Si formaliter idem dicat, quod verè; concedimus; si verò significet omnipotentiam ex propria formâ humanitatis fluere; tum negamus, ut patet.

LXXVI. Verumenimverò quàm perversum hic agat Sophistam Becanus ex subsequentibus est manifestum, ubi dicit, *humanam naturam sanctificari, hoc sensu dici, humanam naturam esse sanctam & Deo gratam per unionem cum divinitate in eadem subsistentia, atque hoc nihil reale ponere in humanitate, præter conjunctionem substantialem, quâ immediatè conjungitur cum persona verbi, & illà mediante, cum Deitate.*

LXXVII. Ex hâc interpretatione satis clarum & perspicuum est, humanam naturam in hâc unione, non realiter sanctam, non realiter Deificatam esse; sed tantùm ita dici *θετικῶς*, nempe in respectu ejus, cum quo conjuncta est. Cum expressè dicat Jesuita, *sanctitatem & Deificationem in Humanitate nihil reale ponere, præter solam conjunctionem*: Ergo non realiter est sancta, non realiter est Deificata. Deinde quod nullam agnoscat in hâc unione *κοινωνίαν*, ut usitatè vocamus, quam tamen propter unionem & mutuam complexum ipsius naturis intercedere, planè à Damasceno traditum est, lib. 3. cap. 4. *οὗτός ἐστιν ὁ τρόπος τῆς ἀντιδόσεως, ἐκατέρας φύσεως ἀντιδίδοντας τῇ ἑτέρᾳ τὰ ἴδια διὰ τὴν τῆς ὑπόστασεως ταυτότητα καὶ τὴν εἰς ἀλλήλα αὐτῶν περιχώρησιν.* h. e. *iste est modus mutue & alternatæ attributionis, quod una natura communicat alteri sua propria propter persone identitatem & mutuam complexum.* Tertiò etiam manifestum est, quod Jesuita personam realiter distinguat à Deitate: cum illam dicat esse immediatè conjunctam cum humanâ naturâ proindeq; cōmunicatam: hanc verò mediatè quidem conjunctam, sed non comunicatam, Quæ sanè omnia manifestè pugnant cum sacris literis & totâ doctrinâ de personâ Christi & Deo.

LXXVIII. Quod porrò §. 7. dicit Becanus, *Dignitatem operantis plus conferre ad dignitatem actionis, quàm dignitatem objecti*: ambabus manibus largimur: Et rectè additur, quod *actiones Christi, quatenus procedunt ab operante, solent à patribus vocari Divine Thean-*

Theandricæ, Deiviriles &c. Hæc inquam, certa sunt in vero intellectu Patrum: sed non in perverso intellectu Jesuitarum. Patres enim volunt, & propterea Christi actiones meritorias & similes vocant Theandricas, Deiviriles &c. quia etiam a virtute divina proficiuntur. Jesuitæ verò negant illas a virtute divina esse, sed tantum a personâ divinâ, quæ sit subjectum ut quod. Ponunt ergò divinam personam operantem, sine divinâ natura, & sic sine divinâ virtute: cum virtus divina sit ipsa essentia divina. Quid ergò absurdius cogitari potest? ut illud satis dilucidè in præcedentibus est explicatum & demonstratum.

LXXIX. His subjicit Becanus secundam quæstionem: *An actiones Christi fuerint infiniti meriti.* Qualis etiam hîc sit pontificiorum consensus, de quo ubique plus quam thraſonicè glorientur, patet statim ex tribus prioribus paragraphis: in quibus Becanus tres maximè discrepantes opiniones proponit. *Primam*, eorum, qui negant fuisse infiniti valoris; indeque consequenter negant fuisse infiniti meriti. *Secundam*, eorum, qui asserunt fuisse infiniti valoris, non tamen infiniti meriti: & *Tertiam*, eorum, qui affirmant utrumq; actiones Christi & fuisse infiniti valoris & fuisse infiniti meriti. Egregius sanè consensus: credat Judæus Apella!

LXXX. Ad vitandam nimiam prolixitatem, omnia in hæc quæstione examinare non possumus, ad unicum illud, quòd ultimo loco §. 7. subjicit, tantum respondendum esse duximus. *Dices* (inquit Becanus) *si Christi meritum fuit infinitum, quid opus est nostro merito?* *Respondeo* (addit) *ideo opus est nostro merito (quod tamen fundatur in merito Christi) quia Deus ita vult, & natura rei exigat.* Non enim possumus vitam æternam consequi, nisi simus justis & Deo grati. Non possumus autem esse grati Deo, sine gratiâ justificante. Hanc autem gratiam non possumus conservare, nisi per observantiam mandatorum Dei. *Hæc autem observatio in homine justo est meritoria.*

LXXXI. Totus hic discursus ex meris petitionibus principii est compositus 1. petitio principii est, quod in quæstione supponitur, *opus nimirum esse nostro merito ad salutem æternam consequendam* 2. petitio principii est, *Deum velle & requirere nostra merita* 3. petitio

D

3. petitio

3. petitio principii est, *Naturam rei exigere nostra merita* 4. petitio principii est, *non posse nos vitam aeternam consequi & Deo gratos esse sine iustitia nobis qualitative inherente* 5. petitio principii est, *observationem mandatorum Dei esse meritoriam.*

LXXXII. Peti ubiq; principium dicimus, cum omnia illa ex tripode sine Spiritus Sancti autoritate, in sacra Scriptura contenta, adferantur, imò Spiritui Sancto in scriptura loquenti, per omnia contradicatur. Primum enim merito nostro opus non est. Quandoquidem filius Dei unigenitus propter nos homines & nostram salutem de caelo descendens & homo factus, par & omnibus numeris absolutum *λύτρον* pro nobis praestitit. Quod *λύτρον* meritum & satisfactio consistit in obedientia, Deo pro nobis praestita: quae activa partim, partim passiva est. Activa: quae Christus nostri gratia legi se subjiciens, ejus partes perfectissime adimplevit *Matth. 5. v. 17. Gal. 4. v. 4. 5.* Passiva: quae patri caelesti obediens factus esse Christus scribitur non extremo tantum illo triduo ad mortem usque crucis, *Phil. 2. v. 8.* Sed innumeras etiam tota vita externas partim, partim internas afflictiones pro nobis perferendo, *Esa. 43. v. 44. & 45. 1. Pet. 1. v. 19. 1. Joh. 3. v. 7.* Utraque haec obedientia *λύτρον* fuit pro peccatis omnibus omnium hominum perfectissimum, ut non tantum *ἰούμετε* Ⓞ esset, sed & multis modis *ὑπέμειτε* Ⓞ nostra redemptio. Ad quid ergo nostra opera?

LXXXIII. Falsum quoque est, *Deum velle & requirere nostra merita.* Nam velle quidem Deum & requirere Charitatem Christianam & bona opera concedimus, sed non bona opera, quae sint merita. Quandoquidem tantum unus est mediator Dei & hominum, homo Jesus Christus *1. Tim. 2. v.* Ergo etiam tantum unum meritum. Propterea etiam Filius Mariae in nativitate sua unctus est Spiritu Domini *Es. 61. v. 1. Luc. 4. v. 18.* absque mensura *Joh. 3. v. 34.* ut esset Jesus, qui Salvaret populum suum a peccatis suis *Matth. 1.* Quamobrem Paulus *1. Cor. 5. v.* inquit: *Deus erat in Christo Mundum reconcilians sibi. Rom. 8. v. 2. 3. Lex spiritus vitae in Christo Jesu liberavit me a lege peccati & mortis. Quod verò legi erat impossibile, quia infirmabatur per carnem, hoc Deus misso filio suo, in similitudine carnis peccato obnoxio, praestitit. Si praestitit illud Deus per filium, ad quid nostrum meritum?*

LXXXIV. Falsum est & nulla scriptura probari poterit, nostrum meritum fundari in merito Christi. Quod enim nihil est, id omni caret fundamento. Nostrum meritum nihil est: Ergo caret omni fundamento. Minor probatur. Ubi enim scriptum est, Christum effecisse suo merito, ut nos gratiam Dei nostris operibus mereri & vitam æternam iis consequi valeamus. Nullibi sanè: imò contrarium testatur scriptura, nos non justificari operibus legis, sed unicè per fidem Jesu Christi, & nos credere debere in Jesum Christum, ut justificemur & fide Christi & non ex operibus legis: propterea quod non justificabitur ex operibus legis omnis caro, *Gal. 2. v. 16.*

LXXXV. Falsum porro est: quod nostrum meritum natura rei exigat. Nostra enim merita sunt & consistunt in operibus & justitiis nostris. Jam verò tanquam pannus menstruatae sunt omnes justitiæ nostræ *Es. 64. v. 6.* Nihil minus ergo sunt, quam justitia: proindeq; inter illas & justitiam Dei læsam nulla est proportio: & quia immundæ sunt, ab iis abhorret justitia Dei, nisi regatur illarum immundities merito Christi, & propter illud accipiamus remissionem peccatorum & in gratiam Dei recipiamur.

LXXXVI. Ob eandem planè causam falsum quoq; est, nos non posse vitam æternam consequi & Deo gratos esse, sine justitiâ qualitative nobis inherente: cum primis si justitia illa sumatur ut causa efficiens & operans vitam æternam, & gratiam divinam. Quandoquidem forma justitiæ nostræ, quâ gratiam Dei & vitam æternam consequimur, non consistit in justitiâ nobis inherente: sed in eo. 1. ut peccata, quibus justificandus quisq; est pollutus, remittantur h. e. ex gratiâ condonentur 2. ut peccatis remissis, in super innocentia & justitia Christi, quam implendo legem acquisivit, donetur atque imputetur. Condonando ergo partim, partim donando fit ut peccator justificetur: condonatis nimirum peccatis, donata autem justitia Servatoris Christi.

LXXXVII. Forma hæc justificationis universa scripturarum oraculis est testatissima. Prior pars *Luc. 1. v. 77. Salus à Christo danda in remissionem peccatorum esse Col. 1. v. 14.* Redemptio per sanguinem Christi facta, itidem in remissionem peccatorum esse dicitur. *Rom. 3. v. 25.* Justitia Dei & expiatio Christi sanguine facta

facta constans remissione peccatorum, ibidem scribitur. Conferantur *Psal. 32. v. 12. Rom. 4. v. 7. 8. 2. Cor. 5. v. 19.* Rursus Christus Jehovah iustitia nostra. *Jerem. 23. v. 6. & 1. Cor. 1. v. 30.* à Deo iustitia & Sanctificatio nobis esse factus dicitur; & *Rom. 4. v. 6.* *Beatitudo hominis esse scribitur, cui Deus iustitiam imputet.*

LXXXIX. Denique & illud falsum est, opera nostra sive observationem mandatorum Dei in iusto esse meritoriam: Quandoquidem contrarium nos docuit Christus *Luc. 17. v. 9, 10.* Num gratiam habet seruo illi, qui fecit, quæ ei injuncta fuerint? non puto. Ita & vos, cum feceritis omnia, quæ injuncta sunt vobis, dicite: servi inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus.

LXXXIX. Quæ Becanus subjicit in Quæstione quarta de tempore, quo Christus meruerit, magni momenti non sunt, probamus nihilominus ultimam conclusionem, quod Christus meruerit toto tempore vite sue, etiam in infantia. Inde liquet etiam tertia quæstio: quibus actionibus Christus meruerit: nempe suâ natiuitate, quâ nostram sanctificavit: suâ circumcissione, sui in templo Hierosolymitano, impletis puerperii Matris suæ, Mariæ, diebus, præsentatione & oblatione, fugâ suâ in Ægyptum, festorum solennium frequentatione, & similibus; tandem verò cruce & morte: quibus omnibus legi Dei pro nobis satisfecit, à morte æternâ nos liberavit, vitamque æternam acquisiuit.

F I N I S.



99 A 6900

ULB Halle 3
002 622 092




SB

Repro

VD 77







14

DECIMAQUARTA
in Confessionem,
ntinens

ARTICULI III.

ERITO

ISTI,

proposita
ademia wittenbergensi,

ESIDE

ARTINI, SS. Th.

o, Facult. Theol. Seniore,
Præposito, ac p. t.
niæ Rectore,

PONDENTE

EREDSLOBIO

ensi Saxone.

Auditorio Collegii veteris

em 12. Aprilis.

TEBERGÆ,

LOMONIS AVERBACH,

M DC XXIX.